

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 1850

**Auteur(s) :** Richard Ier Cœur de Lion, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1198, 28 février

**Lieu d'émission :** Château-Gaillard

**Action juridique :** fondation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Fondation de l'abbaye Notre-Dame de Bonport. Richard Ier) roi d'Angleterre, donne en perpétuelle aumône à l'église Notre-Dame de Bonport la localité où le roi a fondé cette abbaye, et la dote d'autres donations.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissey, 1862, n° XVII, p. 14-16.

b. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, *Instrumenta ecclesiae Ebroicensis*, n° X, col. 137-138.

## Dissertation critique

La datation de la *Gallia Christiana* est erronée. L'acte date en fait de 1198 (SCRIPTA 4698, d'après l'édition de J. Andrieux)

Texte établi d'après b

Richardus, Dei gratia rex Angliæ, dux Normanniæ, Aquitaniæ, comes Andegavensis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justitiariis, vicecomitibus, senescalibus, præpositis, baillivis, et omnibus ministris fidelibus suis totius terræ suæ, salutem. Sciatis nos dedisse et concessisse, et præsenti charta nostra confirmasse pro salute animæ nostræ et antecessorum nostrorum, in puram et perpetuam eleemosynam, Deo et ecclesiæ beatæ Mariæ de Bono-portu, quæ in foresta nostra de Bord sita est et fundata, in loco scilicet qui prius dicebatur Maresdaus, et monachis ibidem Deo servientibus, de ordine Cisterciensi, locum ipsum de Maresdaus, in quo predictam ecclesiam ad honorem Dei et beatæ virginis Mariæ fundavimus, et totam haiam de Maresdaus sicut chimirinus dividit eamdem haiam a foresta, et in eadem foresta de Bord, scilicet in loco qui dicitur balnea Morin, et circa locum illum viginti carrucatas terræ, scilicet unicuique carrucatæ sexaginta acras terræ, ad particam nostram, videlicet viginti quinque pedum. Dedimus etiam in prædicta foresta, omnia necessaria ad propria hebergagia facienda, et ad ignem suum, et ad omnes usus suos, et pasturam ad omnes bestias suas per totam forestam illam, et quietantiam pasnagii de porcis suis et hominum suorum, et examina apum in usum ecclesiæ. Dedimus etiam eis omnes vineas quas habebamus apud Guavereium, cum pertinentiis suis, et totum closum de Lere cum suis pertinentiis, et omnes vineas et vina quæ habebamus in valle Rodolii, et omnia prata nostra, scilicet de Guavereio et de Huma, et de Loviers et de Wiscarvilla, de Leire cum pasticiis ejus, et omne fœnum nostrum de valle Rodolii,

quod venire solebat ad grangias nostras, excepto illo quod vadit ad carrucas et ad feoda servientium, et omnem aquam ad faciendum quidquid voluerint, et omnes piscarias, et molendinum de Poses cum pertinentiis suis, et omnes redditus quos habebamus a ponte Archæ in Secana sursum usque quantum durat vallum de Rodolio, et quietantiam per mare, per terram et per aquam, de omnibus rebus suis et hominum suorum, de mediatione etiam vini ad omnes usus suos, et de omni alia consuetudine in omni potestate nostra. Dedimus etiam prædictis monachis decem carrucatas terræ in foresta nostra de Auviz, unicuique carrucatæ sexaginta aeras terræ, ad supradictam particam nostram, ad faciendum ibi grangiam, et ac bestias suas, et ad bladum suum, et ad ea quæ voluerint, et in eadem foresta ligna ad ædificia sua facienda et ad ardendum, quantum opus habebunt, ad omnes usus suos, et in eadem foresta herbagium bestiis suis, quotcumque in nemore illo voluerint habere, et quietantiam pasnagii porcis suis. Dedimus quoque jam dictis monachis centum marcas de redditu nostro in villa de Dieppa in perpetuum, singulis annis, ad duos terminos persolvendas, scilicet medietatem ad Pascha, et medietatem ad festum sancti Michaëlis. Dedimus etiam eis habendam et tenendam in perpetuum in proprios usus suos, ecclesiam de Crikboe integre, cum omnibus pertinentiis suis. Volumus autem vos scire quod advocatio ejusdem ecclesiae nobis adjudicata fuit per recognitionem in curia nostra ; quare volumus et firmiter præcipimus quod prædicta abbatia nostra et monachi, et fratres in eadem domo Deo servientes, habeant et teneant in perpetuum omnia supradicta bene et in pace, libere et quiete, integre plenarie et honorifice, in bosco et plano, in terris et vineis, in decimis, in hospitibus et redditibus, in pratis et pasticiis, in aquis et molendinis, in viis et semitis, in vinariis et stagnis, in mariscis et piscariis, et in omnibus aliis locis, et aliis rebus ad prædicta pertinentibus, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis. Propterea maxime præcipimus et omnino prohibemus, ne quis prædictos monachos in aliquo supradictorum disturbet vel differat supra decem librarum forisfacturam, testibus Willelmo filio Radulphi, tunc senechal. Normanniæ, Roberto de Harcourt, magistro Mauger archidiacono Ebroicensi, Joanne de Alene archidiacono Luxoviensi, Willelmo Tobomer, Petro de Pratellis, et pluribus aliis. Datum per manum magistri Guarini prioris Lochion, tunc agentis vicem cancellarii, apud Bellum-castrum de Rupe, XXVIII die Februarii, anno primo regni nostri.